



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

21. Dies Januarii. Quis alius est noster finis, quàm pervenire ad regnum,
cujus nullus est finis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

sed Deus totus sit meus, quid superest, quàm ut
 soli consecrem id totum quod sum, quod habe
 quod possum, quod scio? Deinde cùm origo mei
 sursum è cœlo, absit, ut me deorsum vultem
 cœno, memor hodiernæ tesseræ, & Poëtici m
 niti.

Despice corde solum, suspice mente Polum.

21. DIES JANUARI.

Quis alius est noster finis, quàm perven
 re ad regnum, cujus nullus est finis
S. August. de Civit. l. 22. c. 30.

Quis finis creationis. **C**REavit te Deus in terra, se
 non propter terram. Ha
 igitur debet esse tibi prim
 memoriæ recordatio, mentis cogitatio, oris in
 terrogatio: Cur creatus sum? Relege hujus di
 tesseram, & intelliges, finem tuum esse aliquid
 quod caret fine. Igitur terra tibi est pro exiguo tem
 pore hospitium, non pro omni tempore domici
 lium. Es hîc accola, non incolâ; es peregrinus, no
 civis; es advena, non domesticus. Hæc ergò vita, est
 via: hac imus in Patriam. A Deo egressio, redi
 mus in Deum. Eò omnes unde: ibi finis, unde
 principium. Eò moventur omnes, non omnes pro
 moventur. Errant multi, vagantur plurimi. Vita
 est via ad Deum unica, sed habet infinita divertic
 eula: hîc anfractus, ibi foveas, alibi præcipitia, ubiq
 pericula. Ne igitur in principio viæ devies in via, ista
 hîc viator, & adamantino caractere hoc menti im
 prime

prime pronunciatum: Creatus est homo, ut Deum laudet, eique serviens, salvus fiat. Ecce finem tuum post viam, hoc est, vitæ finem, frui Deo sine fine.

II. Accepisti à Deo vitam, ut Deo reddas. Non dat Deus, sed sceneratur pro lucis usura; laudem exigit, quâ non indiget. Quòd abs te, homule laudari velit, gratia est, imò & lucrum: laudem mereris, dum laudas. Tanti refert Deo servire. Non alio est homo nobilior brutis animantibus, quàm quòd sit servus sui Domini. Scis quanta sit libertas hujus servitutis? Qui servit Deo, major est mundo, æqualis cælo, nam imperat sibi, dominatur cæteris. Creavit Deus omnia, hominis gratiâ, immortalis est animus, iis non eget; corpus paucis continetur: existunt reliqua, ut abstineas virtutis amore, & intra rationis gyrum retineas palantem appetitum: scalæ denique sunt erectæ ad Deum, quas calcare debes, ut ascendas. Hactenus quæ egisti omnia, vix aliud fuerunt, quàm somnia. Nemo delirat magis, quàm qui vigilans somniat. Expergiscere tandem, cur hîc stertis, ut alibi vigiles? Nullus abusus inter homines major, quàm quòd quæ seria sunt, oscitantur, nugæ gerantur seriè. Meminin' quo fine creatus es? Si tibi vivendum statuas, ut edas, ut vituleris, animal es. Si te vis hominem? dirige omnia ad id, quod est finis hominis.

III. Vide quò tendas; nam qui tendit, qua non debet, pervenit quò non vult. Caput est in omni negotio, nosse quid agendum sit. Nunc igitur cùm ex mente Augustini, (a) *Propter finem cetera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum*; quid jam superest,

D 4

quàm

(a) *De Civit. l. 8. cap. 8.*

quàm cum totus sis à Deo, & propter Deum, totum
 totis naturæ, & gratiæ viribus te consecres Deo? n
 lendo essentiâ tuâ, ullâve illius parte uti aliter, quâ
 ad finem hunc, quem ipse tibi proposuit consequen
 dum: statuendo non admittere, neque cogitati
 nem, neque verbum, neque opus, neque gestum, ne
 que motum, neque sensum, neque intentionem
 quæ non sint totidem passus, quibus ad hunc finem
 te promoveas. Ita ut, sicuti in cælo Deus animam
 corpus, cum omnibus facultatibus, & sensibus im
 plet; estque omnia in omnibus, sic etiam in terra
 eadem taliter occupet, ut omnia Deo sint plena, sicut
 que Deus tibi omnia in omnibus, ut sic vivas tam
 quam candidatus æternitatis. Hoc nunc ago, & jam
 nunc sine cunctatione agere incipio, & me totum
 tibi, qui mihi es totum, & omne, consecro verbis se
 vi tui Augustini: [a] *Totus spiritus, totum cor, totum
 corpus, tota vita mea, vivat tibi vita mea dulcis: quoniam
 tuam vitam totum me liberasti, ut totum me possideres: totum
 me refecisti, ut totum me rehaberes.* Hoc pacto er
 mus unum cum Deo, & si Deo unimur, munimur
 Si alteri rei amando uniris, infinitas tibi ipse hinc ca
 lamitates fabricaris, & tandem in fine peribis. Om
 nis extra æternum amorem amor, non est nisi ama
 tor. Fidem facit Poëta:

Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.

(a) *In Soliloq.*

* * *